

Σbc. 73.



DISSERTATIO QVARTA 17
DE
SERVIS VETERVM
FATIDICIS

ACTOR. XVI. 16

P R A E S I D E

IO. ERN. IMMAN. WALCHIO

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSORE PVBLICO ORDIN
SOCIETATVM LATINAE IENENSIS DIRECTORE
ROMANAE ARCADVM ET FLORENTINAE
COLVMBARIAE SODALI

D. XXVII. MAII. CIDIICCLXI

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMISSA

A

GODOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO

I SENACENSI
SACRARVM ET ELEGANTIORVM LITTERARVM CVLTORE.

I E N A E 17

LITTERIS SCHILLIANIS



DISSERTATIO QUARTA

DE

SERVIS VETERAM

FATIDICIS

ACTOR. YNA 16

FRANCO

IO. FRN. IMMAN. WALCHIO

PROFESSORIS PRAEPOSITI PUBLICO ORDINE
SOLLENNITATE IN THEATRO THEOLOGICO
GOTTINGENSI ACADEMIAE THEOLOGICAE
GOTTINGENSI

ANNO MDCCCLXXVII. MENSE APRILII

IN ACADEMIA THEOLOGICA GOTTINGENSI

PUBLICE

GOTTINGENSI ACADEMIAE THEOLOGICAE

SECRETARIUM ET BIBLIOTHECARIUM IOHANNES WILHELMUS


LITTERIS SOCIETATIS





COMMENTATIO QVARTA
DE
SERVIS VETERVM FATIDICIS
ACTOR. XVI. 16

I

 QVAE tribus prioribus dissertationibus de servis veterum fatidicis proposita a nobis et pertractata sunt, fundamento esse volumus, in quo ipsa LVCAE verborum interpretatio, quam vltima hac commentatione instituemus, nitatur. Monstrauimus, duplex olim diuinationis genus apud veteres graecos et romanos cognitum et vsitatum fuisse, alterum naturae, alterum deorum, quod in singulari munere deorum fuerit collocatum. Ad postremum pertinuisse cum somnia diuina, tum diuinationes eorum, qui futura vigilantibus sibi a diis patefieri, de se praedicauerint: gessisse hos diuersa apud veteres nomina, fuisseque inter ipsos discrimen non solum ipsius *modi*, quo vaticinja ediderint, aliis aperto, aliis clauso ore vaticinantibus

A

tibus

tibus; sed etiam *sexus*, tum *gentis*, immo et *status* ac *conditionis*. Quoad statum eorum spectamus, vatum antiquiorum alios nobilioris et honestioris, alios vilioris conditionis fuisse, demonstratum ac in primis de posteriori eorum genere, siue de vilioribus et plebeis vatibus fuisse et copiose eam potissimum ob causam disputatum est, quod ipsa illa fatidica ancilla, ex qua spiritum malignum a diuino Paulo expulsum esse, LUCAS refert, ad hoc posterius vatum genus iure quodam suo referenda esse, videtur. Ac de his quidem sic egimus, vt primum diuersa eorum genera olim fuisse, ostenderemus, deinde, eos in circis, vicis, plateis urbium potissimum commoratos, raro ad priuatorum aedes admissos esse, probaremus. Quibus expositis, ostensum fuit, id vatum genus quaestus et victus sibi parandi causa hariolari solitum fuisse: inter eos hanc diuinandi scientiam vtrique sexui communem existisse: habuisse apud plebem potissimum plurimum auctoritatis, apud illos contra, qui magis sapere sibi visi sint, in summo contemptu fuisse, alios denique eorum liberos et ingenuos, alios seruilis conditionis fuisse. De his fatidicis seruis multa in tertia de hoc nostro argumento commentatione dicta et exposita sunt, ancillae illius fatidicae causa, cuius Lucas noster mentionem fecit, et vt huius ratio ex illorum statu et conditione tanto facilius posset diiudicari. Ex adlatis enim pluribus veterum scriptorum testimoniis primum demonstratum est, seruos hos fatidicos duplicis fuisse generis, alios ad futurarum rerum praedictionem fuisse adhibitos, alios magiae dedisse operam: deinde ratio ostensa est, qua vates in seruitutem nonnunquam venerint et qui factum sit, vt in seruorum familiam vtriusque sexus mancipia, ad vaticinandum adhibita, venerint, tum de pretio

pretio horum seruatorum fatidicorum disputatum atque ex eo caussa deducta est, quare plures domini vnum seruum fatidicum nonnullam habuerint. Denique, quare vates in mancipiis olim locum habuerint, quaestio adlata est ac discussa.

II

EX his omnibus magnam nos LVCAE verbis lucem, qua adhuc illa caruere, accendere nos posse, arbitramur. Primum ipsam ancillam contemplabimur ac, quae illa fuerit, videbimus. Deinde de spiritu fatidico, quem ipsi Lucas tribuit, nonnulla differemus, quo facto, ea perfequemur, quae de ancillae huius dominis a diuino scriptore litteris consignata legimus. In ancilla cum sexus et status; tum ipsa gens, ex qua fuit, spectari debet. Quoad *sexum* cogitamus, a) audiuius, multisque exemplis demonstrauimus, spiritum fatidicum mares aequae ac feminas occupare inque vtrumque sexum demittere se posse, fuisse olim creditum. Adeo, vt propter id mirum haud sit, si ancillae huic *πνεῦμα πρόθωνος* tributum olim fuisse, legamus. *Status* ratione habita, hanc ancillam vatibus plebeiis esse adscribendam, omnes ostendunt rationes. Supra enim monstratum est, discrimen fuisse inter vates, alios nobilioris, alios vilioris conditionis fuisse, b) hos vaticinia edidisse in pla-

A 2

teis,

a) videatur *commentationis tertiae §. I. p. II.* et quae ibidem ex FLAVTO et COLVMELLA disputata sunt. Addatur *commentationis secundae §. III. p. III.* et v. vbi plura fatidicarum apud veteres mulierum exempla proferuntur, auctoresque laudantur, qui de iis data opera sunt commentati.

b) videantur testimonia IUVENALIS aliorumque, *commentationis secundae §. v. p. VIII.* in medium adlata, collatis reliquis ENNII, FLAVTI, CICERONIS, COLVMELLAE, CATONIS, et TERTYLLIANI, *commentationis secundae §. VI. p. x. sq.* prolatis.

reis, vicis ac foris urbium *c*), et a plebe potissimum de futuris rebus consultos esse *d*). Quae vero quum ita sint, quum scriptor diuinus diserte testatur, oberasse ancillam hanc per urbem, et clamando per plateas insequutam esse Paullum et Silam, facili negotio constat, fuisse eam non nisi vulgarem hariolam et vatem vilioris conditionis. Vates huius generis erant vel liberi homines; vel conditionis seruilis *e*). Cuius nostra fortis (fuerit, sacer scriptor diserte docet. Dicit enim eam non solum παιδικην, quo vocabulo ancillas denotari in diuinis aequae ac profanis scriptoribus, contra PHRYNICHVM egregie demonstrarunt HENRICVS STEPHANVS *f*) et AEGIDIVS MENAGIVS; *g*) sed etiam disertis verbis dominorum, in quorum seruitio fuit, mentio facta est. Domini eiusmodi seruos et ancillas magicas habuerunt, vt supra audiimus, cum superstitione *h*); tum vt ex iisdem quaestum facerent

e) confirmant id testimonia ENNII, IVVENALIS et HORATHII, supra *commentatione secunda*, §. VIII. p. XVI. sq. adlata, itemque ea, quae §. VIII. p. XVIII. de lege, qua eiusmodi vatibus aditus ad aedes priuatas interdictus fuit, ex DIONE CASSIO, SVETONIO, CATONE, IVLIO FIRMICO et CONSTANTINO imperatore disputata sunt.

d) legatur *commentationis tertiae*, §. II. p. III. sq. vbi ex multis veterum scriptorum, nominatim ENNII, VARRONIS, COLVPELLAE, TACITI aliorumque testimoniis monstratum est, apud eos, qui in gente romana sapere sibi visi sunt, in summo contemptu eiusmodi diuinationes plerumque fuisse. Aliter contra plebs de iis iu-

dicauit, a qua vates et harioli frequenter consulti sunt.

e) probant id testimonia veterum scriptorum, §. III. *commentationis tertiae*, p. IV. sq. adlata, in quibus ea praeter ceteris rem extra omnem dubitationem ponunt, quae p. VIII. sq. ex PLVTARCHO, DIODORO SICVLO et VLPIANO adscripta sunt. *f*) de *idiom. dial. Attic.* p. 229.

g) *notis ad Diogenem Laertium*, v. 54. *h*) id probabile ex iis factum est, quae in antiquis lapidibus de priuatorum sacrorum et larum ministris deque seruis a sacrario memoriae prodita legimus, *commentationis tertiae* §. VII. p. XX. Quo et ea pertinent, quae ibidem ex FRONTINO in medium sunt adlata.

rent *i*), immo quoque, vt videtur, nonnunquam animi oblectandi causa, vt icidem supra probabile fecimus *h*). Quem autem in finem nostra haec ancilla in ministerio fuerit, satis superque declarant illa LVCIAE: ἥ τις ἐργασίαν πολλὴν παρείχε τοῖς κυρίοις ἀυτῆς κατηνομένη. Quum autem, vt CLAVDIVS SALMASIVS *l*) docuit, veteres graeci scriptores vocabulum ἐργασία de foenore et vsura solent vsurpare, haud difficulter ex eo constabit, ancillam hanc ad quaestuosam, vt ita dicamus, seruorum et ancillarum familiam et ad eandem classem pertinuisse, in qua supra *m*) varii generis artifices, qui quaestus causa ali a dominis suis solebant, posuimus. Consulebantur vero viliores eiusmodi vates potissimum a plebe *n*), qua in re haud immerito quaeri posse videtur, qui Lucas de πολλῇ ἐργασίᾳ, de magno quaestu, ex hac ancilla eiusque vaticiniis facti, loqui potuerit, quum tamen supra ex ENNIO aliisque monstratum fuit, admodum vile fuisse vaticinorum horum pretium *o*). Bene se res habet. Magnitudo enim quaestus in hac arte non tam ex pretii modo, quam ex consulentium multitudine aestimari debebat, quae vti permagna fuisse videtur, ita ipsum, quamuis vile pre-

A 3

tium

i) eo spectant ea, quae supra *commentatione tertia* §. vi. p. xvii. de seruis, quaestus causa olim emtis et quae §. vii. p. xviii. eandem in rem de vatibus seruilis conditionis exposita sunt, collatis iis, quae *commentatione secunda* §. x. p. xviii. de ipsis plebeiis et vilioris conditionis vatibus, quaestus causa harriolantibus eorumque voce venali in medium sunt adlata.

k) probatum id fuit supra *commenta-*

tionis tertiae §. vii. p. xxi. ex luculento DIODORI Siculi effato,

l) de foenore *trapeziticis*, p. 478.

m) vide *commentationem tertiam*, §. vi p. xvii. §. vii. p. xviii. collata *commentatione secunda*, §. x. p. xviii.

n) legatur *commentatio secunda*, §. vii p. xiii. et §. viii. p. xvi.

o) conferatur *commentatio secunda* §. x. p. xx. et expendantur ENNII ET IUVENALIS verba, ibi prolata.

tium haud spernendum quaestum dominis his poterat conciliare. At enim eiusmodi vates plebeii, vt supra audiuimus, in magno olim contemtu fuerunt *p*)? Vnde igitur tantum lucrum, deficiente consulentium turba? Fuerunt in contemtu iam a Catonis temporibus, *q*) verum, quod Romae parum ipsis auctoritatis a sapientioribus tributum fuit, haud idcirco idem de plebe superstitiosa, maxime in prouinciis, statuere licet, praesertim quum supra *r*) ex *IVVENALI*, *ENNIO* aliisque vidimus, nunquam, Romae adeo, nedum in prouinciis, defuisse ex plebe, qui ea infecti essent superstitione, vt nil facile fusciperent, nisi prius vates eiusmodi consulissent.

III

CVIVS ancilla haec *gentis* fuerit, quaestionem haud immerito moueri posse, videmus. Antiqua aetate aliam gentem alia diuinando peritiorem superioremque et apud romanos in maiore laude atque existimatione fuisse, supra audiuimus, *s*) ac simul demonstrauius, plerosque eius generis vates non indigenas fuisse; sed aliunde Romam venisse *t*). Videtur praeterea ancilla haec, vtpote vates vilioris et feruilis conditionis, patriam habuisse, cuius ciues diuinandi arti praeceteris et sic quidem dediti fuerunt, vt non viri; sed etiam feminae, non aliqui nobiliores; sed et de plebe haud pauci eandem addiscere

p) Confirmant id *EURIPIDIS*, *CVRTII*, *ACCII* poetae, *ENNI*, *VARRONIS*, *CICERONIS*, *PLVTARCHI*, *IVVENALIS* aliorumque plurimum testimonia, *commentatione tertia* §. II. p. III. sq. adducta.

q) vide memoratam *commentationem*, p. III.

r) *comm. secunda*, §. VI. p. XI. et XII.

s) patet id ex testimoniis *IVVENALIS*, *EVNII*, *ARRIANI*, *PLVTARCHI*, *FRONTINI*, et *CICERONIS* inter se rite collatis, *commentatione tertia* §. III. p. VI. adlatis.

t) *ibidem*;

fcere fluderent. Sic describit ARRIANVS u) Telmissenses, testaturque, esse eosdem σοφὸς τὰ θεῖα ἐξηγεῖσθαι, καὶ σφίσι ἀπὸ γένεος δεδωδαι ἀνθρώποις καὶ γυναῖξιν καὶ παισὶ τὴν μαντείαν, esse peritissimos prodigiorum interpretes et vaticinandi scientiam ipsis pariter atque vxoribus et liberis ab ortu insitam esse. Addit deinde de Gordio, προσάγουσα κόμη τινὶ τῶν Τελμισσέων, ἐντυχὴν παρθένω ὑδρευομένη, καὶ πρὸς τούτην εἰπεῖν ὅπως οἱ τὸ τῆ ἀεῖβ' ἔχῃ. τὴν δὲ, εἶναι γὰρ καὶ ἀνὴρ τῆ μαντικῆ γένεος, θύειν κελεύσαι τῷ βασιλεῖ, ἐπανελθόντα εἰς τὸν τόπον ἀνθρώπων, quum ad vicum venisset, iuuenctulae cuiusdam, qualis παιδίσκη nostra forte fuit, fontem adeunti, obuiam venisset, eique, quid sibi euenisset, narrasset. Hanc vero, quod et ipsa ex vatum progenie esset, ut ipsorum oppidum repetens Ioui regi sacrificaret, iussisset. Sine omni dubio etiam haec fatidica nostra ancilla, τῆ μαντικῆ γένεος, vt ARRIANVS loquitur, fuit; neque videtur plane improbabile, si Telmissensem eam fuisse, dicamus. Quum vero tres olim vrbes fuerunt, qui Telmessi, vel Telmissi habuere nomen, altera in Caria, prope Halicarnassum, altera in Lycia, prope flumen Xanthum, tertia in Pisidia, leui mutatione Termessus etiam vocata, quaeri hoc loco merito posse videtur, quaenam earum sit, cuius ciuibus tantam futurorum scientiam tribuit ARRIANVS, et vnde ancillam Philippensem forte fuisse, diximus. CICERO x) Termessus, inquit, in Caria est, qua in vrbe excellit barbaricum disciplina. Videtur igitur hanc diuinandi virtutem vrbi Cariae assignare. SVIDAS y) contra vrbes Lyciae intelligit, a Telmissi, Apollinis filio et filia quadam Antenoris, quam ille τερασκοπὸν fecerit. Τελμισσοῦ, sunt eius verba, πόλις ἐν Λυκίᾳ ἀπὸ Τελμισσοῦ τῆ Ἄπολ-

u) libr. II. de expeditione Alexandri Magni, cap. III. p. 63.

x) libr. I. de diuinat. cap. 41.

y) lexic. voc. Τελμισσοῦ.

Ἀπύλλωνος καὶ μιᾶς τῶν Ἀσηνέρος θυγατρῶν, ἣ ἐμίγη εἰς σκύλακα μεταβαλὼν, διὸ καὶ τερασσιόπον αὐτὸν ἐποίησε, ὡς Διόνυσιος ἐν ἡΐσει. *Telmiffus autem est in Lycia a Telmiffo Apollinis filio et una ex filiabus Antenoridis, cum qua rem habuit in catulum mutatus, quamobrem etiam ipsam fecit prodigiorum obseruatricem et interpretem, ut Dionysius in originibus tradit, quibus verbis SVIDAS, vnde Telmiffenses hanc vaticinandi artem acceperint, docere voluisse, videtur.*

III

QVID itaque de hoc veterum dissenſu ſtatuendum? Niſi omnes nos rationes fallunt, CICERO de eadem vrbe, de qua SVIDAS, loquutus eſſe, videtur, eſſi ille eam Cariae, hic Lyciae urbem adpellauit. Quum enim STEPHANVS z) Telmiſſum, καρίας πόλιν, Cariae urbem, a Strabone dicit Lyciae adſignari, quoniam ea, quam ſecundo loco nominauimus, ſita fuit in Cariae Lyciaeque confinio: quum porro SVIDAS a) Telmiſſenſes, quorum urbem in Lycia ponit, in Caria habitare, diſerte adfirmat, videtur ea ipſa vrbs, quam Cariae Cicero adſignat, nulla alia fuiſſe, quam quae a Strabone, Stephano et Suida Lyciae adtributa et ad fines Cariae poſita fuit. Ac huius quidem vrbs ciues vaticinandi peritia olim maxime floruerunt, adeo, vt, nulla ſexus aut conditionis ratione habita, omnes excoluiſſe ac didiciſſe illam, ſi ARRIANO fides habenda, videantur. Iam vero ſi ancillam hanc Telmiſſenſem fuiſſe, ponimus, quo fato Philippos venerit, non immerito quaeri poſſe videtur. Quum Romae peregrinorum vndiquaque con-

z) de urbibus p. 701. ed. BERKELII.

a) loco excitato

confluentium magna semper fuit multitudo, quum porro plerique eorum, qui diuinando quaestum sibi inter plebem fecere, non indigenae; sed ex prouinciis fuerunt *b*), quae prae ceteris diuinandi arte famam sibi comparauerant, nullum est dubium, quin et Telmissensium haud pauci in colluue illa plebeiorum vatuum fuerint, quae in circis, foris aliisque locis publicis Romae pro istius aevi consuetudine versari solita est *c*). Forte autem nostra, Romam delata, cum ob paupertatem, quod nihil ibi lucrari ob nimiam vatuum adfluentiam poterat, tum ut eo tutior esset, propter magistratum, isti hominum vagabundorum generi maxime inuisum *d*), sponte dominum quaesuit, et cum hoc Philippos, quo repetitis vicibus coloniae a romanis deductae sunt, *e*) migravit.

V

VERVM, quum semel coniecturas facere coepimus, non necesse habemus, ancillam nostram Roma Philippos deducere. Venit

B 2

nit

b) legatur *commentationis secundae* §. III. p. vi. sq.

c) *comm. secunda*, §. VIII. p. xvi.

d) eo spectant, quae *commentatione tertia*, §. II. p. III. sq. ex TACITO, DIONE CASSIO, SVETONIO, VLPIANO aliisque sunt disputata.

e) conf. PLINIVS *libr. III. historiae naturalis cap. II.* DIO *Cassius, libr. LI. p. 445.* antiqui lapides apud SPONIVM *miscellan. eruditae antiquit.* p. 173. et GRVTERVM p. MDXXXVI. *num. I.* nummi denique apud PATINVM *numism. imp. rom.* p. 99. SPANHEMIVM *de vsu et praestant. numism.* tom. II.

p. 600. VAILLANTIVM *num. imp. in coloniis municip. et urb. iur. Lat. donat. rom.* 1.

p. 109. et WESSELINGIVM *notis ad Antonini itinerar.* p. 320. Haec veterum scriptorum, lapidum et nummorum testimonia vbi rite et vti decet, inter se comparantur, haud obscure adparebit, primum coloniam a Iulio Caesare Philippos deductam, deinde eandem ab Augusto nouis colonis auctam esse, ad extremam vero vtrique tam veteri, quam nouae aliam eamque militarem Vespasiani temporibus accessisse.

nit ea forte ex patria in hanc romanorum coloniam, si non ipsa, parentes tamen; aut auitum ipsius genus? Venire potuit, belli inprimis calamitate, qua et vates nonnunquam in seruitutem ductos esse, supra audiuimus. Forte enim ab Alexandro magno, Caria aliisque vicinis prouinciis in potestatem redactis, Telmissenses bello capti Macedoniam delati sunt, in quibus forsitan, si coniecturae locum dare licet, etiam maiores ancillae nostrae fuerunt. Quis porro ignorat, Asiae minoris et speciatim Cariae incolarum fata tempore romanorum? aut quem fugit, Asiae prouincias, testamento Attali romanis relictas, ab his, postquam breui tempore post defecerant, victo Aristonico, recuperatas et seruitute mulctatas fuisse? *f*) Sine dubio quoque in victi Aristonici comitatu pro temporis istius consuetudine etiam vates, inque his et Telmissenses, utpote omnium celeberrimi et peritissimi, fuerunt. Qui Romam in triumpho duci

cti

f) Confirmant id testimonia epitomatoris LIVII: Aristonicus regis Eumenis filius, Asiam occupauit, quum testamento Attali regis legata populo romano libera esse deberet. Aduersus eum P. Licinius Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, praelio victus et interemptus est. M. Perperna consul victum Aristonicum in deditionem accepit, libro LVIII. P. 397. edit. CLERICI, INSTINI: in huius, Crassi consulis, locum missus Perperna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit, Attalicasque gazas, hereditarias populi romani, nauibus impostas, Romam deportauit.

Quod aegre ferens successor eius Marcus Aquilius consul ad eripiendam Aristonicum Perpernae, veluti sui potius triumphus munus esse deberet; festinata felicitate conrendit, libr. XXXVI. cap. 4. §. 9. VELLEII: Aristonicus, mortuo rege Attalo, a quo Asia populo romano hereditate relicta erat, mentitus regiae stirpis originem, armis eam occupat. Is victus a M. Perperna ductusque in triumpho a M. Aquilio, capite poenas dedit, libr. II. cap. 4. §. I. Consuli quoque potest STRABO libr. XIUI. p. 957. ed. ALMELOVEENII. Ex recentioribus legatur CAROLVS SIGONIVS de antiquo iure prouinciarum libr. I. cap. 10. p. 77. 78.

cti, g) et, quum occisos eos fuisse, vix probabile sit, more solito feruorum loco numeroque habiti ac publice venditi sunt. Nemi- ni porro incognita esse possunt Cariae aliarumque Asiae prouincia- rum fata tempore belli Mithridatici h). Quis vero sponfor nobis erit, in iis copiis, quas Mithridates ex Asiae populis contra roma- nos conscripsit, nullos Telmissenses, nullos ex his bello captos, nul- los Romam ductos, nullos ibi venales expositos, nullos in his vates fuisse? Quae quidem omnia etsi coniecturae sunt; monstrant tamen modum et rationem, qua ancilla haec aut eius maiores in serui- tute aequae ac Philippos venire potuerint, si Telmissum habue- runt patriam, quod supra haud plane improbabile esse, diximus.

VI

SEQUITVR alterum quaestionis nostrae caput: quod vatici- nandi genus professa fuerit ancilla haec Philippensis? LVCAS gene- ratim eam *μαρτυρομένην* dicit quumque vocabulo vitur, quod omnia diuinandi genera complexum olim esse, videtur; tum hoc ipso satis superque declarat, ancillam nostram in mancipiorum hu- ius generis numero non incantatricem i) fuisse, aut saculariam k), aut aliud praestigiarum genus exercentem l); sed fatidicam, quae vati- cinia edere se posse, iactauerit. Vates igitur fuit ancilla, id est, exspectarunt harum rerum curiosi ab ea futurorum praedictionem. Vates veterum diuersi fuerunt, alii arte quadam perspicere futura eademque signis externis diiudicare studuerunt, m) alii contra di-

B 3

uina-

m) legatur *comm. primae* §. III. p. XI.
g) conferatur laudatus SIGONIVS loco memorato.

h) videatur *commentationis secundae* §. VII. p. XV. et *dissert. tertiae* §. III. p. XII.

i) ibidem.

k) ibidem, coll. *comm. secunda* §. VII. p. XVI.l) conferatur *commentationis primae* §. I. et II. et *secundae* §. VII. p. XII.

uinationem caelestis doni loco numeroque habuerunt, firmiter persuasi, esse deum aut aliquam vim diuinam, quae ex ipsis futura patefaceret. *n*) Cuius generis nostra fuerit, *LVCAS*, addito speciei nomine, haud obscure prodit, quum eam πνεῦμα πύθωνος habuisse dicat. Codices quidem manu exarati lectione vocabuli πύθων discrepant, nonnullis, nominatim Alexandrino, Lincolnienſi et Claromontano, vt *MILLIUS* et *WETSTENIUS* obseruant, πύθωνα, ceteris πύθωνος efferentibus. Manet tamen sensus idem, siue illam; siue hanc sequutus fueris lectionem. Altera enim ancillam habuisse vult πνεῦμα πύθωνος, spiritum hominis fatidici, altera πνεῦμα πύθωνα, spiritum Pythonem, id est, qui πύθων, siue, vt supra vidimus, δαίμονιον μαντικὸν vocatus fuerit. Vtraque vero lectio satis superque declarat, pertinuisse hanc ancillam apud veteres ad illud vatum genus, in quo vaticinandi facultas non *artis*, *o*) sed vt *CICERO* ait, *naturae* fuit, *p*) id est, per singulare donum ac munus diuinum, ad vates, inquam, ex quibus deus aliquis aut spiritus, a quo obfessos se crediderunt, loqueretur. Vates isti, qui πνεῦμα πύθωνος habere dicebantur, *q*) vel ore proferebant vaticinia sua, vel per ventrem, clausis labiis, *r*) qui ἐγγαστήριμοι, vt supra diximus, vocari solebant *s*). Cuius nostra generis fuerit, itidem ex *LVCA* haud obscure poterit cognosci. Quum enim diuinus scriptor vocabula κηδεῖν et λέγειν vsurpat, a quorum propria significatione non temere recedendum est: quum ista sonum, ore prolatum, denotant:

n) *comm. prim. §. II. et III.*
o) *comm. eiusdem §. III. p. XII.*
p) de hac adpellatione fuisse disputatum est *comm. primae §. V. p. XIII. et §. VI. p. XV. sq.*

q) *comm. primae §. VII. p. XX.*
r) *comm. secundae §. II. p. II.*
s) lege *comm. primam §. VI. p. XVII.*

notant: quum porro verba distincte prolata ancillae tribuit: quum sequutam eam esse, dicat, viros sanctos per plateas et cursitando vaticinatam esse, per id significat: quum denique ἐγγασείμυθοι vel infidentes cuidam loco ad excipiendum spiritum τ), vel prostratos in terra vaticinia sua emisisse, testimonia veterum, supra adlata, u) confirmant, summa cum probabilitate, ancillam hanc τῶν ἐγγασείμυθων, fricte sic dictorum, numero neutiquam adscribendam esse, potest contendi. Ore itaque proferebat sua vaticinia. Qui id faciebant, vel sedato animo, id est, ea ratione, qua homines sanae mentis; vel per furorem sunt vaticinati x). Nostra sine dubio ad prius vatium genus videtur pertinere. Praeterea enim quod in iis, quae Lucas de hac ancilla perhibet, nullum μανίας fatidicae vestigium reperiri potest, fuisse quoque plerorumque vilioris sortis vatium, isto saltem tempore, ea ratio videtur, vt sine vilo furore, quae dicenda habebant, proferre solerent; id quod facile constabit, si omnia de hoc vatium genere testimonia, supra operose congesta, velimus inter se comparare. Vatibus his, illis inprimis, qui, vti nostra, plebeiae sortis erant, aditus ad aedes priuatas, romanorum imperatorum tempore, haud facile permittebatur. γ) Vnde forte ratio patet, quare haec ancilla Paullum et Silam per plateas et vicos vrbs insequuta fuerit. Vaticinabatur autem propter quaestum, z) qualem etiam a Paulo et Sila sine dubio se facturam esse, sperabat, si publice eos praedicaret, laudaret et adstanti plebi commendaret.

VII

τ) testimonia haec adlata sunt *commentationis primae* §. vii. p. xxi.

u) *comm. secund.* §. 1 p. 11. coll. *comm. primae* §. vii.

*) *comm. secund.* §. viii. p. xviii.

γ) *comm. secund.* §. x. p. xviii. coll.

comm. tertiae §. vii. p. xviii.

z) *comm. secund.* §. v. p. xvi.

TANDEM, quod tertio loco ponimus, de dominis ancillae huius LVCAS memorat, plures fuisse, fecisse ex illius fatidica facultate πολλήν ἐργασίαν, daemone expulsō, quum lucri spe desinitos se viderint, iacturae, quam fecerint, dolore concitatos, Paullum et Silam ad forum traxisse, causam autem veram sui furoris reticentes, aliam, a factorum turbatione petitam, praetexuisse. Qui domini isti fuerint, ignoratur. Videntur quidem coram iudicio se, romanos esse profiteri; ex verbis tamen istis nihil certi efficere licet, quum non tam suo; sed ciuium nomine, qui iuris italici fuerunt, loquuntur, adeo, vt verba eorum non tam ad iura, quibus ciuitas eorum a romanis donata fuit, quam ad leges romanas, secundum quas vixerunt, pertinere videantur. Hoc non insolitum fuit, vt vnus seruus aut ancilla plures simul dominos haberet. Supra id exemplis luculentis demonstrauimus *a)*, huiusque rei causam cum in ipso peculio, quod heredibus haud raro commune permansit, *b)* tum in summo eorum mancipiorum, vnde magnum lucrum sperandum erat, pretio *c)* quaesiuimus. Neque vero non causam, quare coram iudicio de daemone expulsō deque illato sibi damno nihil dicant, adsequi facile licet. Praeterea enim quod, ne partium studio se hanc litem Paulo intulisse, viderentur, non sine causa verendum ipsis erat, probe quoque habebant perspectum, eiusmodi hariolarum vatumque plebeiorum genus reipublicae noxium ac perniciosum *d)* a romanis haberi et in contemptu esse, vt supra demonstratum est *e)*. Praeuidabant igitur, se iudices contra se habituros, si de hariola sua quid dicerent, atque de damno, ex amissa eius facultate fatidica sibi illato, conquererentur.

a) ibidem*b)* ibidem*c)* *comm. secund. §. viii. p. xviii.**d)* *vide comm. tertiae §. ii. p. iii. sq.*

VIRI S
PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO
CAROLO ERNESTO
DE RHEDIGER
DOMINO IN BLVMENRODA

SERENISS. DVCIS SAX. VINARIENS. ATQVE ISENACENS.
A CONSILIIIS INTIMIS STATVS REGIMINIS
NEC NON SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI
PRAESIDI SPLENDIDISSIMO

PERILLVSTRI GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
GOTHOFREDO L. B. DE NONNE
DOMINO IN EHRINGSDORF ET OBERWEIMAR
IVRIVM DOCTORI CELEBERRIMO SERENISS. DVCIS
SAXONIAE VINARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIIS
INTIMIS AERARII PROVINCIALIS DIRECTORI
GRAVISSIMO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE CONSVLTISSIMO DOMINO
IOANNI POPPONI GREINERO
SERENISS. SAX. VINARIENS. ET ISENACENSIS DVCIS
CONSILIIIS INTIMIS ADSISTENTI CET.

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS



HAS
QVALESCVNQVE STVDIORVM ACADEMICORVM
PRIMITIAS
OBSEQVIOSISSIMAE DEVOTIONIS TESTES
PROPTER MVLTA EAQVE MAXIMA
IN
REMPUBLICAM PATREMQVE MERITA
SVBMISSAMENTE
OFFERT
VOTISQVE
PRO TANTORVM MAECENATVM
PROSPERRIMA SALVTE PERPETVAQVE INCOLVMITATE
PIE NVNCVPATIS
SE SVAQVE OMNIA DEMISSE COMMENDAT

CVLTOR DEVOTISSIMVS
GODOFREDVS EBERHARDVS SCHMIDIVS
ISENACENSIS.

Audes multa quidem, doctorum pulpita scandens,
MI FILI, scandas, sed faustis gressibus opto.
Audaces fortuna iuuat regeres mihi forsan:
Verum est, sed moneo, prudentia dirigat ausus.
Vix septem atque decem, quum TV compleueris annos,
Pindi Ienensis, quum vix conspexeris oras,
Vix TIBI largiret patulum certamen inire
Ni TVVS existerit mihi dulcis suasor Apollo.
Vade igitur, monstres, quam sit consuefcere multum
A teneris, tentes, humerus quid ferre potis sit,
Nam duce tam celebri, nil non tentare licebit.
Est via, quam calcas, omnino trames honoris,
Calces; sed summi TIBI gloria numinis esto
Vltimus et primus quaesiti finis honoris.

ETIC FILIO SVO PRIMOGENITO

APPLAUDEBAT ISENACI

EBERHARDVS SCHMIDIVS

PASTOR PRIMARIVS ET CONSISTORII

SVPREMI IBIDEM ASSESSOR

NVNC CLEMENTISSIME DENOMINATVS

SVPERINTENDENS GENERALIS.

GODOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO,

AGNATO CARISSIMO

S. P. D.

IOACH. ERDMANN SCHMIDT,

I. V. D. ET P. P. O.

Saeculi nostri mores hi quum esse soleant, vt, qui nomen studiis dederunt, sibi parentumque spei fecisse satis sibi videantur, si litteris mediocriter operam dederint, in hac mediocritate, carissime Agnate subsistendum **TIBI** non putasti; sed quod ingenui adolescentes facere solent, quod tamen raro fieri solet, ad summa eniteris. Qua re quanta perfundar laetitia, quod dictu mihi perquam difficile est, hoc, quicquid litterarum est, non nisi **PATRI TVO** summe reuerendo, a teneris, quod aiunt unguiculis mihi amico, filium in spem optimorum parentum surgentem gratulaturus, animumque meum **TVI** studiosum **TIBI** probaturus scripsi. Dabam e museo d. v. nonar. Iul. cIo Io cc LXI.

GODO.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
GOTHOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO

S P D

D. IOAN. FRID. HIRT.

Multa in TE, amice praesantissime, natura benignior contulit bona, quae omnes, qui TE norunt, mecum mirantur, TIBIQUE et parentibus TVIS optimis aequae ac patriae dulcissimae de iisdem gratulantur. Non vltimum profecto inter ingenia praecocia occupas locum: quam praerogatiuam partim benignitati naturae a benignissimo deo TIBI concessae, partim prouidae curae parentis TVI magnifica dignitate iam venerabilis et educationi praesantissimae, acceptam ferre debes. Alacritatem naturaliter innatam, linguam doctam expeditam, et eruditionem diligentia acquisitam, non in priuatis solum exercitiis et praesidi TVO excellentissimo et mihi saepius ostendisti, sed publicae nunc in arenam quoque descendis, et gloriam ex pugna docta reportare cum laude ad laboras. Gratulor TIBI hoc eruditionis TVAE specimen doctissimum, et vltiorem numinis supremi gratiam ad perpoliendam magis et amplificandam dona egregia ex animo TIBI ad precor. In posterum TVO si diligenter obuersabitur animo, illos, qui in academiis, musarum ac bonarum artium officinis, tempus bene collocant, vt ingenio decus atque ornamentum adferant, mentem vero bonis rectisque exerceant moribus, virtutum praemia semper capere posse, et laudis testimonium merito impetrare; precibus meis, parentum optimorum desiderio, et expectationi patriae satisfacies certissime. Vale, et res TVAS age feliciter. Ienae d. IV. Iul. MDCCLXI.

V I R O
PPAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
GODOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO

AMICO SVO CARISSIMO

S. P. D.

IO. LVD. OVICVS LOEBER,
IENENSIS Opp.

Quantum, vt in aliis multis variisque, ita et in disputandi artibus, profeceris, iam publico specimine declaras. Non deerunt quidem, qui tum praeclarum TVVM ingenium, tum summa industria partam disceptandi alacritatem admiraturi sint atque laudaturi, quamquam TV nec laudibus etiam si dignissimis indigeas, quippe re ipsa, qui sis, comprobaturus; nec etiam longo verborum strepitu orationisque flumine ab aliis extolli velis, cum sis ipse modestissimus. Attamen fieri non potest, quin ipse TVIS intersum laudatoribus. Inuitasti enim me. TECVM enim pugnare et stare contra TE me posse, mihi non sumo. Nihil igitur relictum erit, nisi vt TVIS gaudeam insignis doctrinae documentis, idque gaudium, quantum possim, declarare. Cuius rei copiam mihi factam laetor et gratissimo agnosco animo. Urgebo oblatam exoptatissimam, AMANTISSIME SCHMIDI, occasionem, quantumque TE et amem et admirer ex viribus significare studebo. Vale. Ienae d. iv. Iul. cIoIoCClxi.

VIRO

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
GODOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO

DISSERTATIONIS HVIVS RESPONDENTI DIGNISSIMO
FAVORI ET AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

FRIED. ELIAS THONIVS

ISENACENSIS S. S. TH. CVLTOE

Opponens.

Quam diu honorifica mihi data fuit occasio, TVAE, PRAENOBILISSIME AC DOCTISSIME AMICE, iucundissimae consuetudinis fructus percipiendi, tam diu me semper felicissimum praedicavi, mihiqve de tanto amico gratulatus sum. Nam praeter amicitiam, qua me dignatus es, dulcissimam, egregium, quod in TE est, ingenii acumen, adparatusque doctrinae elegantioris et solidioris me in TVI admirationem rapuerunt: quare iure meritoque tanti feci amicitiam erga me TVAM, quanti officium, quod TIBI debeo postulare videtur. Nihil itaque acceptius et gratius mihi vnquam accidere potuit, quam certamen litterarium publicum tecum inire, in quo, vt alteram sustineam partem IPSE voluisti: etsi humeris meis ferendo onus istud impar esse sentiam, nec tamen hoc reculare fas esse putavi, potissimum quum TVAE in eo voluntati me inferuire intelligam. Lubentissime igitur illud, vt nostra amicitia requirit, quod mihi imposuisti munus suscepi, non quidem eo animo, vt TIBI multa opponam; sed potius, vt sim TVAE eruditionis ac virtutis testis admiratorque. Plane enim non dubito, quin TVA laudabilis diligentia praemia dignissima ex hoc certamine litterario sit reportatura. Nihil restat, quam vt TIBI, VIR DOCTISSIME, iam de hoc eruditionis specimine ex intimo animi affectu gratuler; non vero solum TIBI; sed etiam SPLENDIDISSIMAE PATRIAE, VIRO MAGNIFICO ATQVE SVMMO REVERENDO PATRI TVO CARISSIMO, PATRONO MEO SPECTATISSIMO, de filio optimae spei atque eruditionis; optemque vt TVAE indefessae industriae fructus mature percipias. Id TE vnice denique rogans etiam atque etiam, vt et in posterum fauere mihi pergas. Me vero quantum poterō, AMICE AESTVMATISSIME, TIBI totum spondebo. Dabam Ienae d. IV. Iul. 1761 CCLXI.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
GOTHOFREDO EBERHARDO SCHMIDIO

S. P. D.

PRAESES

Non sine summa voluptate praesto TIBI ero, litterarum inituro certamen. Quod enim ingenii bonitate TE omnibus, qui TE norunt, commendas; adhaec vero saepius, quum priuatim TE cum sodalibus TVIS commisi, praeclare stetit, si modo defendentis, modo dissentientis munus TIBI esset meis auspiciis subeundum, non possum non sollempnis TVI, quem meditaris, conflictus exitum optatissimum et cum magna TVA laude coniunctum TIBI spondere ac polliceri. Multas ex hac pugna reportabis laureas, quas praevideo, stimulos TIBI fore summae diligentiae summiq[ue] in litterarum cum elegantiorum tum diuiniorum disciplinis studii. Seruet supremum numen, TE, optime SCHMIDI, omni tempore saluum et incolumem efficiatq[ue], vt laudis cursum, quem ingressus es, in hac academia ex voto animique sententia conficias. Id si fecerit deus, magno eris gaudio summe reuerendo et de sacrorum Ilenacensium cultu meritissimo PATRI tuo, exemploq[ue] TVO, quod tutus ego confido, confirmabis, nullum esse vel diligentiae vel virtutis genus, cui non sint proposita amplissima praemia. Vale meque amore TVO, quod enixe opto, prosequi perge, Ienae, d. vi. Iul. c1o1o cc lxi.

Ukert. Bibl. 8/IX. 51.

Tb 4898

f

ULB Halle 3
003 507 459



56.

ND18

N.C.

Phoy





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



TATIO QVARTA

DE

S VETERVM
TIDICIS

OR. XVI. 16

A E S I D E

MMAN. WALCHIO

ESEOS PROFESSORE PVBLICO ORDIN
ATINAE IENENSIS DIRECTORE
RCADVM ET FLORENTINAE
VMBARIAE SODALI

. MAIL. C I C I O C C L X I

RVDITORVM DISQVISIONI
SVBMISSA

A

EBERHARDO SCHMIDIO

ISENACENSI

GANTIORVM LITTERARVM CVLTORE.

I E N A E

RIS SCHILLIANIS